



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,  
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa  
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad  
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630**

4 In quo consistat ratio entis in quantum ens, & quomodo inferioribus  
entibus conueniat.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94135](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94135)

## SECTIO IV.

In quo consistat ratio entis in quantum ens, & quomodo inferioribus entibus conveniat.

I.



Vm dictum sit, ens dicere vnum conceptum obiectivum, oportet in quo eius formalis seu essentialis ratio consistat, breuiter declarare, saltem per descriptionem aliquam, aut terminorum explicationem, nam, cum illa ratio sit abstractissima & simplicissima, proprie definiri non potest. Fuit ergo opinio Auicennae, quam referunt Commen. & D. Thom. 4. Metaph. Comm. 3. & libro 10. Metaph. Commen. 8. ens significare accedens quoddam commune rebus omnibus existentibus, nimirum ipsum esse, quod rebus accidere dicitur, cum eis possit conferri & auferri. Quae opinio fundata est in significatione vocis, *ens*, derivatur enim à verbo, *sum*, estq; participium eius: verbum autem, *sum*, absolute dictum significat actum essendi, seu existendi: esse enim & existere idem sunt, vt ex communi vsu & significatione horum verborum constat: significat ergo adaequate, *ens*, id quod est, vnde apud Arist. lib. 1. Physic. tex. 17. & saepe alibi loco *ens* ponitur, id quod est, id est, quod habet actum essendi seu existendi, vt idem sit ens, quod existens: dicit ergo ens de formali esse seu existentia, quae est extra rerum quidditatem.

Quid entis  
nomine in  
rell gar A-  
uicenna.

II.

Hanc opinionem attingens Soto, tacite nomine Auicennae, cap. 4. Antepred. quaest. 1. in fine, prius dicit ens semper esse participium verbi, *sum*, sicut existens verbi, *existens*, & de formali significare esse, de materiali vero quod habet esse, postea vero declarat, ens non solum significare, quod actu est, sicut existens, sed quod est actu, vel potentia: quia de homine non existente, vere dicitur esse ens, sicut esse animal vel substantiam; & nihilominus concludit, ens non dici quidditativum de rebus, praesertim creatis, quia dicit habitudinem ad esse, quod est extra essentiam creaturæ. Et in hoc constituit differentiam inter *ens*, & *res*, quod *res* quidditativum praedicatur, quia significat quidditatem veram, & ratam absolute, & sine ordine ad esse, *ens* autem non praedicatur quidditativum, quia non significat absolute quidditatem, sed sub ratione essendi, seu quatenus potest habere esse, & hac ratione existimavit dictum ab Aristotele 8. Metaphysicæ, tex. 16. ens non poni in definitionibus rerum. Quam totam doctrinam videtur sumpsisse Soto ex Caietano. opusculo de ente & essentia, c. 4. proxime ante quaest. 6. vbi praeter alia dicit, Auicennam solum reprehendi, quia vocat ens praedicatum accidentale: proprie enim esse non est accedens, sed substantialis actus, non vero esse reprehensione dignum, eo quod neget, ens esse praedicatum essentialiter seu quidditativum: hoc enim verum est, cum esse sit extra quidditatem, citatque D. Thomam quodlib. 2. art. 3. dicentem, ens de solo Deo praedicari essentialiter, quod etiam significat 1. part. qu. 3. art. 4. & 5. & 1. cont. Gent. cap. 25. & 26.

III.

Ens, & participium, & nomen

Ad explicandam hanc rem, & tollendam æquivocationem, vtendum nobis est vtitata distinctione entis, quam Caietanus & Soto supra sine causa reiciunt. Fonseca vero merito eam amplectitur 4. Metaphysicæ cap. 2. quaest. 3. sect. 2. eamque satis insinuat D. Thomas dict. quodlib. licet non eisdem verbis. Ens ergo, vt dictum est, interdum sumitur, vt participium verbi, *sum*, & vt sic significat actum essendi vt exercitum: estq; idem quod existens actu, interdum vero sumitur vt nomen significans de formali essentiam eius rei, quae habet, vel potest habere esse, & potest dici significare ipsum esse, non vt exercitum actu, sed in potentia, vel aptitudine, sicut *vinens*,

vt est participium significat actualem vsu vitæ, vt vero est nomen, significat solum id quod habet naturam quæ potest esse vitalis operationis principium. Quod autem hac distinctio necessario à praedictis authoribus admittenda sit, patet, nam prior significatio fundata est in proprietate & rigore verbi *sum*, quod absolute dictum actuale esse seu existentiam significat; vnde etiam Dialectici dicunt in propositione de secundo adiacente verbum, *est*, nunquam absolui à tempore. Et patet etiam ex communi vsu, nam si quis dicat, *Adam est*, significat ipsum existere. Haberetur autem hoc verbum in rigore suum participium in ipso inclusum, in quod potest resolui praedicta propositio. Rursus constat ex communi vsu, *ens*, etiam sumptum pro ente reali (vt nunc loquimur) non solum tribui rebus existentibus, sed etiam naturis realibus secundum se consideratis, siue existant, siue non: quomodo Metaphysica considerat ens, & hoc modo ens in decem praedicamenta diuiditur. Sed *ens* in hac significatione non retinet vim participii: quia participium con significat tempus, & ita significat actuale exercitum essendi seu existendi, & ideo hæc vox *ens*, nunquam dici potest de re quæ actu non existat, quia semper retinet vim participii verbi, *existens*, ergo necesse est *ens* in hac posteriori significatione sumi in vi nominis. Vnde praedicti auctores re ipsa admittunt hanc partitionem, quamvis verbis contemnant, nam perinde est dicere *ens* interdum significare rem actu existentem, interdum potentia tantum, quod dicere interdum sumi vt participium, aliquando vero vt nomen, seu, vt alii loquuntur, participialiter & nominaliter. Quia hoc ipso quod *ens* non significat actualem entitatem & existentiam, iam non sumitur in vi participii, sed tanquam nomen verbale. Vnde diuus Thomas in dicto Quodlib. postquam tractauit de ente, prout dicitur ab actuali esse, subdit: *Sed verum est, quod hoc nomen, ens, secundum quod importat rem, cui competit huiusmodi esse, sic significat essentiam rei, & diuiditur per decem genera.*

## Questionis resolutio.

Hæc ergo supposita vocis significatione, facilis est questionis resolutio in communi sumpta. Dicendum est enim primo, sumpto ente in actu, prout est significatum illius vocis in vi participii sumptæ, rationem eius consistere in hoc quod sit aliquid actu existens, seu habens realem actum essendi, seu habens realitatem actualem, quæ à potentia li distinguitur, quod est actu nihil. Hoc totum, cum solum consistat in declaratione simplicissimi conceptus, non potest aliter probari, quam ex communi modo concipiendi, & ex significatione vocis à nobis explicata. Ac denique, quia ex dictis in praecedentibus sectionibus constare potest, ens sub hac ratione posse habere vnum conceptum formalem, & obiectivum, communem omnibus entibus actu existentibus, cum inter se similia sint, & conueniant in actuali esse & entitate, constat etiam posse conceptum illum hac voce significari: ergo entis sic sumpti, & conceptus eius ratio, non potest in alio consistere, nec potest aliter explicari.

Dico secundo: Si ens sumatur prout est significatum huius vocis in vi nominis sumptæ, eius ratio consistit in hoc, quod sit habens essentiam realem, id est non fictam nec chimericam, sed veram & aptam ad realiter existendum. Probatio huius conclusionis eadem proportionaliter est, quæ praecedentis, quia hic simplex conceptus non potest alio modo intelligi aut explicari.

## Quid sit essentia realis.

Solum restabat exponendum, quid sit essentia realis, vel in quo ratio eius consistat: nam cum essentia

IV.

Ens partici-  
pium quid  
importet.

V.

Ens nomen  
quid.

sentia sit secundum quam res dicitur, seu denominatur ens, ut D. Thomas ait, de ente & essentia, cap. 2. quod maxime verum est de ente in hac acceptione sumpto: ideo non potest satis explicari, in quo consistat ratio entis realis, nisi intelligatur, in quo consistat essentia realis. In quo duo peti possunt, quod consistat essentia: secundum, in quo consistat, consistat ratio entis: secundum, in quo consistat, quod realis sit. Primum non potest à nobis exponi, nisi vel in ordine ad effectus, vel passiones rei, vel in ordine ad nostrum modum concipiendi & loquendi. Primo modo dicimus, essentiam rei esse id, quod est primum, & radicale, ac intimum principium omnium actionum ac proprietatum, quæ rei conveniunt, & sub hac ratione dicitur *natura unuscuiusque rei*, ut constat ex Aristotele 5. Metaphysicæ tex. 5. & notat D. Thomas de ente & essentia, capit. 1. & Quodlib. 1. articulo 4. & sæpe alias. Secundo autem modo dicimus essentiam rei esse, quæ per definitionem explicatur, ut dicit etiam D. Thomas dicto opusculo de ente & essentia, cap. 2. & sic etiam dici solet, illud esse essentiam rei, quod primo concipitur de re: primo (inquam) non ordine originis: si enim potius solemus conceptionem rei inchoare ab his, quæ sunt extra essentiam rei, sed ordine nobilitatis potius & primitatis obiecti: nam id est de essentia rei, quod concipimus primo illi convenire, & primo constitui intrinsece in esse rei, vel talis rei, & hoc modo etiam vocatur essentia *quidditas* in ordine ad locutiones nostras, quia est id, per quod respondemus ad questionem, quid sit res. Ac denique appellatur *essentia*, quia est id, quod per actum essendi primo esse intelligitur in unaquaque re. Ratio ergo essentia his modis potest à nobis declarari.

VI. Quid autem sit essentiam esse realem, possumus aut per negationem, aut per affirmationem exponere. Priori modo dicimus essentiam realem esse, quæ in sese nullam involuit repugnantiam, neque est mere conficta per intellectum. Posteriori autem modo explicari potest, vel à posteriori, per hoc, quod sit principium vel radix realium operationum, vel effectuum, siue sit in genere causæ efficientis, siue formalis, siue materialis: sic enim nulla est essentia realis, quæ non possit habere aliquem effectum vel proprietatem realem. A priori vero potest explicari per causam extrinsecam (quamvis hoc non simpliciter de essentia, sed de essentia creata verum habeat) & sic dicimus essentiam esse realem, quæ à Deo realiter produci potest, & constitui in esse entis actualis. Per intrinsecam autem causam non potest proprie hæc ratio essentia explicari, quia ipsa est prima causa, vel ratio intrinseca entis, & simplicissima, ut hoc communissimo conceptu essentia concipitur: unde solum dicere possumus, essentiam realem eam esse, quæ ex se apta est esse, seu realiter existere. His ergo modis potest à nobis communis ratio entis declarari, magis autem exacta huius rei intelligentia pender ex pluribus questionibus. Prima est, qualis sit entitas essentia realis, quando actu non existit. Secunda, quid sit existentia actualis, & ad quid necessaria sit in rebus. Tertia, quomodo existentia distinguatur ab essentia. Sed quia hæc questiones propriæ fere sunt entis creati, & prolixam requirunt disputationem, ideo eas usque ad disputationem 7. differimus, contenti pro nunc prædicta entis & essentia descriptione.

*Ens in actu & in potentia in quo conveniant.*

VII. VNa vero dubitatio circa duas conclusiones positas hic prætermitti non potest, quamvis attingat divisionem entis in ens in actu, & ens in potentia: scilicet an illa duplex significatio entis nominaliter, & participialiter sumpti, sit mere æqui-

uoca, vel ita analoga, ut nullus conceptus communis utriusque membro, ei respondeat: an vero habeat aliquem conceptum communem, nam si hoc posterius dicatur, nondum est à nobis communissima ratio entis satis explicata: declaravimus enim singulorum membrorum rationes, non autem rationem entis ut communis & abstrahētis ab utroque membro. Deinde difficilimum erit ad explicandum talis conceptus & ratio eius; imo & nomen, quia nec significabitur per *ens* nominaliter sumptum, nec participialiter: non potest autem fingi alius modus significandi abstrahens ab his duobus. Si vero dicatur primum, sequitur non posse dari conceptum entis communem Deo & creaturis, ut possibilibus, sed tantum ut actu existentibus, quod videtur plane falsum, & contra communem modum concipiendi, & contra omnia supra dicta de communissimo conceptu entis. Sequitur deinde hominem æquivoce dici de vero homine possibili, vel actu existente. Patet sequela, quia eadem est ratio de homine respectu illorum duorum membrorum, quæ est de ente respectu entis in actu & in potentia, seu de ente nominaliter & participialiter sumpto: nam ut participiū significat ens in actu, ita nomen ens in potentia. Consequens autem videtur plane falsum: nam *homo* ex vi eiusdem impositionis significat hominem, siue actu existentem, siue possibilem: imo & simplex conceptus hominis, qui illi voci respondet, æque repræsentat hominem existentem, vel possibilem, non est ergo ibi significatio æquivoca, idem ergo est proportionaliter de ente sub illa duplici ratione seu significatione sumpto, & de conceptu qui illi respondet.

Respondetur, *ens* secundum illam duplicem acceptionem non significare duplicem rationem entis, diuidentem aliquam communem rationem, seu conceptum communem, sed significare conceptum entis, magis vel minus præcisum: *ens* enim in vi nominis sumptum significat id, quod habet essentiam realem, præscindendo ab actuali existentia, non quidem excludendo illam, seu negando, sed præcisive tantum abstrahendo: *ens* vero ut participiū est, significat ipsum ens reale, seu habens essentiam realem cum existentia actuali, & ita significat illud magis contractum. Unde, sicut animal dictum de ipso genere præcisive sumpto, & de bruto quatenus tale animal est, non diuidit aliquem conceptum communem ad animal ut sic, & tale animal; sed dicit eandem rationem animalis, ut præcisam vel ut contractam, ita dicendum est de ente sub illa duplici acceptione. Magisque accommodatum exemplum est in dispositione ut significat quandam speciem qualitatis ab habitu distinctam, & genus utriusque commune: non enim habet aliquam significationem communem, qua immediate significet alium conceptum communem generi & speciei (id enim impossibile est, quia generi & speciei nil est commune præter ipsum conceptum generis) significat ergo, vel immediate genus ipsum, vel immediate speciem quandam duplici significatione. Ita ergo *ens* non significat conceptum aliquem communem enti nominaliter, & participialiter sumpto, sed immediate habet duplicem significationem, quā significat, vel ens præscindendo ab actuali existentia, vel ens actu existens. Quocirca illa duplex significatio, vel æquivoca est, vel maxime ad æquiuocationem accedit secundum quandam translationem fundatam in aliqua proportionalitate. Primo enim *ens* significasse videtur rem habentem esse reale & actuale, tanquam participiū verbi essendi: inde vero translata est illa vox ad præcisive significandum id quod habet essentiam realem. Cuius simile etiam est in voce illa, *dispositio*, nam ut significat genus & speciem, sine dubio habet æquivocam significationem, vel ad summum analogam secundum quandam proportionalitatem.

Igitur

VIII. *Resolutio.*

*Exemplum accommodatum ad resolutionem intelligentiam.*

IX.

Igitur ad exemplum de voce, *homo*, quod in contrarium afferebatur, responderetur non esse simile, nā *homo*, non habet duplicem significationem, vñ qua significet hominem præcise, vel in potentia, aliam qua significet hominem existentē vt sic, sed vnicam tantum, qua significat hominem præcise: siue existat siue non, quæ significatio est proportionalis, vel similis illi, quam habet ens solum in vi nominis sumptum. Alia vero, quam habet in vi participii, non reperitur in hac voce, *homo*, neq; est vllus terminus incomplexus & simplex, qui significet totū hoc, quod hac voce complexa significatur, *homo exstens*. Quod si fingamus vocem hominis transferri ad totum hoc significandum, iam habebit duplicem significationem æquiuocam, quam dicimus esse in nomine entis.

X.

Ex quo vterius intelligitur ens sumptum in vi nominis non significare ens in potentia, quatenus priuatiue vel negatiue opponitur enti in actu, sed significare solum ens vt præcise dicit essentiam realem, quod valde diuersum est, sicut enim abstractio præcisiua diuersa est à negatiua: ita ens nominaliter sumptum, licet præcise dicat ens habens essentiam realem, non vero addit negationem, scilicet carendi existentia actuali, quam negationem seu priuationem addit ens in potentia. Quod inde etiam manifeste patet, nam *ens* in vi nominis sumptū commune est Deo, & creaturis, & de Deo affirmari vere potest, ens autem in potentia nullo modo potest prædicari de Deo: imo nec de creaturis existentibus vt sic, proprie dicitur, quia iam non sunt in potentia, sed in actu: cum tamen de illis dici possit *ens*, tam vt participium, quam vt nomen, quia licet habeant actualem existentiam, vere etiam de illis dicitur, quod habent essentiam realem, præcindendo, & non negando actualement existentiam.

XI.

Vnde tandem intelligitur, *ens*, præcise sumptum, vt in vi nominis significatur, proprie diuidi posse in ens in actu, & ens in potentia, & ens in actu idem esse, quod ens significatum per hanc vocem in vi participij sumptam, atque ita illa duo significare rationem entis, vel præcisam, vel determinatā ad actualement existentiam, siue hæc determinatio essentialis sit, vt est in Deo, siue sit extra essentiam, vt censetur esse in creaturis, de qua re inferius disputandum est: ens autem in potentia dicit etiam reale ens, quantum ad realem essentiam, contractum & determinatum non per aliquid positium, sed per priuationem actualis existentie. Ens autem sic contractum, seu prout in tali statu conceptum, non significatur per hanc vocem *ens*, nec per aliquam aliam incomplexam, quæ mihi nota sit, sed solum per hos terminos complexos, *ens possibile*, *ens in potentia*, & similes: quæ omnia sunt diligenter aduertenda: nam ex his vocum significationibus multum pendet vera rerum conceptio, & ex his magna etiam ex parte obiter exposta est diuisio entis in ens in actu, & ens in potentia, quam iterum postea ex professo tractabimus.

#### *Ens an sit prædicatum essentiale.*

XII.

Atque hinc obiter colligitur rationem entis communissimam, quæ significatur per eam vocem in vi nominis sumptam, esse essentialem, & prædicari quidditatiue de suis inferioribus quamuis *ens*, vt actualement dicit existentiam, & significatur per participium essendi, absolute non sit prædicatum essentiale, nisi in solo Deo. Hæc posterior pars, quatenus ad Deum spectat, Theologia est, & ex principiis naturalibus tractari solet infra lib. 12. & eam late differui in Tomo 1. 3. p. in disp. 11. sect. 1. & aliquid attingemus infra, disputando de Deo. Quantum vero spectat ad creaturas, pendet ex dicendis infra de distinctione existentie ab essentia in creatura, nunc

supponamus, siue distinguantur, siue non, absolute esse dicendum, existeret non esse de essentia creaturæ, quia pot illi dari, & ab illa auferri, & ita nō habet necessariam connexionem cum essentia creaturæ, præcise concepta, sub qua ratione est inuariabilis, & necessario dicitur de vnaquaq; re cuius est essentia, hac ergo ratione *ens* participialiter sumptum, dicitur non prædicari quidditatiue seu essentialiter de creaturis, & quoad hoc vera est opinio Auicennæ supra recitata, eamq; admittit D. Thom. dicto quodlib. 2. & aliis locis supra citatis, solumq; potest Auicenna reprehendi, vel eo quod existentiam putauerit esse verum accidens, de quo infra suo loco, vel eo quod aliam acceptionem & explicationem entis omiserit, & ideo simpliciter negandum putauerit, ens sub aliqua ratione sub qua in decem prædicamenta diuiditur, esse posse essentiale omnibus illis.

Probatur ergo altera conclusionis pars (quam immerito Soto negare videtur) quia habere essentiam realem conuenit omni enti reali, estq; illi maxime essentiale: ergo ens sub prædicta ratione est prædicatum essentiale. Præterea esse ens hoc modo conuenit creaturæ, etiā si non existat, quomodo hæc propositio; *homo est ens*, dicitur esse æternæ veritatis: sed non conuenit illi per se secundo, vt proprietates aliquæ, quia non supponit aliquid prius à quod dimanet tanquam passio: nam potius ille est primus conceptus cuiusvis entis realis: ergo conuenit vt prædicatum essentiale, & de quidditate rei. Et hoc modo dixit D. Tho. dicto quodlib. ens significare essentiam rei, & diuidi per decem genera. Aristot. autem dixit, ens non poni in definitionibus, non quia sit extra quidditatem, sed quia non dicit determinatā naturam, sed intime transcendit omnia, sicut alii dicunt de ente vt significatur hac voce *res*, de quo Soto supra concedit quidditatiue prædicari: quia significat absolute quidditatem realem: idem enim est significare quidditatem realem, quod significare entiam realem, quam significat ens, vt præcinit ab actuali existentia: quia essentia, & quidditas idem omnino est, solumq; etymologia nominum est diuersa. Quod vero essentia aut quidditas realis sit, intelligi non potest sine ordine ad esse, & realem entitatem actualement: non enim aliter concipimus essentiam aliquam, quæ actu non existit, esse realem, nisi, quia talis est, vt ei non repugnet esse entitatem actualement, quod habet per actualement existentiam: quamuis ergo actu esse non sit de essentia creaturæ, tamen ordo ad esse, vel aptitudo essendi est de intrinseco & essentiali conceptu eius: atque hoc modo ens prædicatum est essentiale.

Vnde obiter colligo, *ens* in vi nominis sumptum, & *res*, idem omnino esse seu significare, solumque differre in etymologia nominum, nam *res* dicitur à quidditate, quatenus est aliquid firmum & ratum, id est, non fictum, qua ratione dicitur quidditas realis, *ens* vero in prædicta significatione dicit id, quod habet essentiam realem: eandem ergo omnino rem seu rationem realem important. Vnde Auicenna tract. 1. suæ Metaph. cap. 6. quia non distinguit illam duplicem significationem entis, eam diuisit inter ens & rem: nam ens de formali significare actualement existentiam, rem vero solum quidditatem seu essentiam realem, vt notauit D. Thom. in 2. d. 37. quæst. 1. artic. 1. Ergo attribuendo enti illam duplicem significationem supra explicatam, altera coincidit cum significatione nominis, *res*, scilicet illa, quæ conuenit enti in vi nominis sumpti. Et ita D. Thom. in dict. quodlib. 2. dicit, nomen *ens* secundum quod importat rem cui competit esse, significare essentiam rei, & diuidi per decem genera. Et per hæc factum est omnibus, quæ circa primam opinionem adducta sunt.

XIII.

XIV.

SECTIO